



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illvstrivm Virorum Poemata

Cesarini, Virginio

Antverpiae, 1662

Ad Natalem Rondinivm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-7990

FERDINANDI FVRSTENBERGII. 185

AD NATALEM
RONDININVM.

Qui sua cæcus amat, ceu natos cercopithecus
Amore vesano fouet,

Et necat amplexu, formam admiratus & ora
Ridenda, visu & turpia;

Audiat exemplum sacri miserabile vatis,

Aurita qui Thracum potens

Saxa mouere sono, blandâ prece carminis ima

Ditis refregit atria,

Non exorato portas adamante rigentes

Ingressus, ut raptam sibi

Eurydicen superis Proserpina redderet auris,

Lyra sonantis premium.

Reddita iam fuerat coniux, cum ponè sequentem

Iurata contra fœdera

Respicit infelix Orpheus, & quam nimis ardet,

Amando perdit coniugem.

Tristia Narcissi quis funera nescit, & ignes?

Quem fontis umbra lucidi,

Et sterilis decepit amor, dum prendere vultus

Imo repercussos vado

M 5

Solli-

*Sollicitus, visa tabescit imagine formæ
 Amator imprudens sui.*
*Ergò caue, quisquis simili vesanus amore,
 Apollinari laureâ
 Carmina digna putas, nugis quæ plena canoris,
 Sed cassâ rebus parturis
 Iratis Musis. Tantum sitis improba laudum
 Suadere amat dementiæ.*
*Non eadem nobis es, RONDININE, monendus,
 Ocelle gentis Itale,
 Noster amor, qui iura licet diuina piorum
 Perfusa doctrinâ Patrum,
 Et Latij veteres, & Graiæ Palladis artes
 Claudas capaci pectore;
 Non ideò temet vanus miraris, ut ales
 Superba Iunonis solet
 Pandere laudatæ gemmata volumina caudæ
 Ad discoloris Iridis
 Inuidiam. Quin ipse grauis tua carmina censor,
 Linenda cedro carmina,
 Exigis ad limam, non dedignatus amici
 Sensum atque mentem exquirere
 Ingenui: nec theta nigrum quandoque recusas,
 Aut pollicis versi notam.*

FERDINANDI FÜRSTENBERGII. 187

Sic Venusinorum sermonum candidus audit

Iudex Tibullus, & suos

Nasoni solitus recitare Propertius ignes

Arbitrio illius stetit.

Sic & Apelleas Lysippus sæpè tabellas

Colore viuo perlitas,

Signaq; Lysippi spirantia doctus Apelles

Curâ recognouit pari.

Nempe minùs peccat, præbere fidelibus aurem

Quicumque præceptis amat.

Nec metuit Bauios, qui sese, iudice recto,

Castigat erroris reum.

Ingenium quicumq; suum pluris facit æquo,

Non estimandus posteris,

Aut tineis epulas, aut scombris debet amictum,

Ridenda vulgi fabula.

AD